QUAESTIONES ISOCRATEAE.

QUAESTIO I.

Res notissima est veteres Athenienses et aliis modis quaestum fecisse, et ex artificiis quae per servos in hunc usum coemptos exercebant, pecuniam quaesivisse. Sic CLEON habuit officinam coriariorum, HYPERBOLUS *λυχνοποιῶν*, LYSIAS *ἀσπιδοποιῶν*, DEMOSTHENES *μαχαιροποιῶν*, neque hic quaestus illis temporibus sordidus et illiberalis *Athenis* habebatur, quamquam nobilissimis generibus nati ut PERICLES, ALCIBIADES, alii ab hoc genere quaestus abstinerent. Comici, qui undecunque iocos petebant, ne hanc quidem iocandi materiam praetermiserunt, sed ea, saepe ad fastidium usque, ut fecit ARISTOPHANES in CLEONE, libenter usi sunt. STRATTIS Comicus quoque in comoedia *Atalante* ISOCRATEM exagitans, eum quod officinam *αὐλοποιῶν* possidebat, plebeio nomine *αὐλοτρύπην* appellavit in fragmento quod corruptissimum ad nos pervenit. Ipsa STRATTIDIS verba haec sunt:

καὶ τὴν Λαγίσκαν τὴν Ἰσοκράτους παλλακὴν
εὑρεῖν με συκάζουσαν εὐναίαν ἔτι,
τόν τ' αὐλοτρύπην αὐτόν.

Dedimus verba sicut leguntur apud ATHEN. p. 592, a quo valde discrepat scriptura eiusdem fragmenti apud incertum auctorem *vitae Isocratis*, editae a MYSTOXYDE (in eius *Anecdotis Ven.* 1817); apud eum enim, ut omittam pravam lectionem *Λαγίσκην*, pro *εὐναίαν ἔτι* legitur *εἶθ' ἥκειν ταχύ* et tertio versu particula *τ'* omittitur, ultimum hoc recte ut videtur MEINEKIO. Non possum emendare vel explicare locum, neque potuerunt viri docti, quorum disputationes videat lector apud MEINEKIUM *Fr. Com.* II.

765. Quantumvis vero locus depravatus et obscurus sit, hoc tamen opinor abunde patet, ISOCRATEM appellatum fuisse *αὐλοτρύπην*, quod insuper demonstrari potest loco PHILOSTRATI, quem infra citabimus. At, quamvis ex testimonio STRATTIDIS certum videatur ISOCRATEM habuisse officinam *αὐλοποιῶν*, tamen DIONYSIUS HALICARNASSENSIS in *ὑπομνηματισμῷ de Isocrate* § 1, narrat non ISOCRATEM, sed THEODORUM patrem ISOCRATIS *αὐλοποιούς* aluisse. Eius sententiam amplexi sunt PSEUDOPLUTARCHUS et PHILOSTRATUS, quorum ille transscripsit quae apud DIONYSIUM invenit, hic more suo declamatiuncula absurda auxit, quae furatus est. DIONYSIUS autem in hac re mihi errasse videtur, et contra fidem historicam tribuisse patri, quod ipsi ISOCRATI tribuendum erat. Primo loco enim suspicionem movet, quod ea, quae nihil faciant ad vitam ISOCRATIS illustrandam, narret de eius patre THEODORO, homine ceteroquin plane ignoto, quem non verisimile est quemquam seculo post curasse, quomodo vitam sustentarit. Deinde, si hoc de patre non dubitavit narrare, cur praetermisit in filio, de quo haec scire nostra multo magis interest? Causam huius rei conabor exponere. Putabant scilicet illi non convenire dignitati magistri eloquentiae ex *ἐργαστηρίῳ* quaestum facere, igitur Graeco more aliquid de suo commenti sunt, quo elevarent STRATTIDIS testimonium. Vera haec esse, quae dixi, demonstrabo testimonio PHILOSTRATI, qui in *vitis Sophistarum*, cap. XVII. de ISOCRATE agens iculariter sic disputat: *οἱ δὲ ἡγούμενοι τὴν κωμῳδίαν καθάπτεσθαι τοῦ Ἰσοκράτους ὡς αὐλοποιοῦ ἁμαρτάνουσι· πατὴρ μὲν γὰρ αὐτῷ Θεόδωρος ἦν ὃν ἐκάλουν αὐλοποιὸν Ἀθήνησιν, αὐτὸς δὲ οὔτε αὐλοὺς ἐγίγνωσκεν, οὔτε ἄλλό τι τῶν ἐν βαναύσοις, οὐ γὰρ ἂν οὐδὲ τῆς ἐν Ὀλυμπίᾳ* (OLEARIUS corrigit *Ὀλυμπίῳ*. Lege *Ὀλυμπιείῳ*, ut apud PSEUDOPLUT. § 4 Editionis DIDOT.) *εἰκόνος ἔτυχεν, εἴ τι τῶν εὐτελῶν εἰργάζετο.* Haec apposuisse sufficit. Equidem licet a PHILOSTRATO dissentiam, cum aliis volo *ἁμαρτάνειν* et plus tribuo Comici testimonio, quam istis nugis, cum nihil causae esse videam cur dubitemus vera esse quae STRATTIS de ISOCRATE tradiderit [1].

---

[1]) Honorificentius quam PHILOSTRATUS de Comicis iudicat ATHENAEUS, in cuius Epitome p. 21 legimus, *παρὰ δὲ τοῖς Κωμικοῖς ἡ περὶ τῶν τραγικῶν ἀπόκειται πίστις.*

Si enim ISOCRATES non habuit *αὐλοποιούς*, loci iocus perit et insulse ISOCRATES *αὐλοτρύπης* appellatur. — At fieri potest, forsan aliquis mihi obiiciat, ut pater quoque ISOCRATIS habuerit *αὐλοποιούς*. Fieri sane potest ut habuerit, sed haud verisimile est, quidquam de hac re, quam nemo curaret, a quoquam traditum esse. At ex hereditate paterna ISOCRATES illos *αὐλοποιούς* potuit habere, ut recte DIONYSIUS scripserit patrem *αὐλοποιοὺς κεκτῆσθαι*. Hoc quoque nego, nam, ut constat ISOCRATIS ipsius testimonio (*de Antidosi* § 161) *ἀπώλετο ἐν τῷ πολέμῳ τῷ πρὸς Λακεδαιμονίους ἅπαντα τὰ ὑπάρχοντα*, quod bellum vix aliud intelligi potest, quam Peloponnesiacum; Comoedia autem *Atalante*, in qua STRATTIS ISOCRATEM exagitavit, teste *Scholiasta* ARISTOPH. *Ran.*, acta est *πολλῷ ὕστερον τῶν Βατράχων*, quae fabula, acta est vere anni 405.

QUAESTIO II.

Quicunque perlegit ISOCRATIS orationes, sine dubio animadvertit, quantum intersit inter dicendi genus et argumenti tractandi rationem priorum quae versantur in genere *ἐπιδεικτικῷ* et *συμβουλευτικῷ*, et iudicialium, quae in ISOCRATIS editionibus postremae leguntur. Quod enim ad dicendi genus attinet, illae quidem priores eleganter et perspicue, sed nimis artificiose conscriptae sunt, quod non ego primus observo, sed iam veteres in ISOCRATE notarunt, ut v. c. DIONYSIUS HALICARNASSENSIS, in hoc argumento aequissimus iudex, qui capite II. libri supra laudati scribit: *αἵ τε γὰρ παρομοιώσεις καὶ παρισώσεις καὶ τὰ ἀντίθετα καὶ πᾶς ὁ τῶν τοιούτων σχημάτων κόσμος πολύς ἐστι παρ' αὐτῷ καὶ λυπεῖ πολλάκις τὴν ἄλλην κατασκευὴν προσιστάμενος ταῖς ἀκοαῖς*, et cap. III. *ἐκλέγει μὲν εὖ πάνυ καὶ τὰ κράτιστα ὀνόματα τίθησιν· ἁρμόττει δ' αὐτὰ περιέργως, τὴν εὐφωνίαν ἐντείνων μουσικήν· σχηματίζει τε φορτικῶς καὶ τὰ πολλὰ γίγνεται ψυχρὸς, ἢ τῷ μὴ πρέποντα εἶναι τὰ σχήματα τοῖς πράγμασιν, ἢ διὰ τὸ μὴ κρατεῖν τοῦ μετρίου*, et tandem cap. XII. *τῆς μέντοι ἀγωγῆς τῶν περιόδων τὸ κύκλιον, καὶ τῶν σχηματισμῶν τῆς λέξεως τὸ μειρακιῶδες οὐκ ἐδοκίμαζον, δουλεύει*

γὰρ ἡ διάνοια πολλάκις τῷ ῥυθμῷ καὶ τοῦ κομψοῦ λείπεται τὸ ἀληθινόν. Ab his autem totum quantum distat dicendi genus quod reperimus in iudicialibus orationibus, praesertim in *Aeginetica, Trapezitica* et oratione *adv. Callimachum* (de his enim potissimum agimus, utpote quae integrae ad nos pervenerint et non nimis breves sint,) quae se commendantur simplici et ut ita dicam Lysiaca dictione, nec obruuntur copia σχημάτων sicut illae. — Nec minus argumenti tractandi ratio in utrisque diversa est; in illis enim argumenta, quae profert ISOCRATES plerumque tam futilia et ridicula sunt, ut saepe taedium[2] legentibus pariant; in his contra firma sunt et tam bene exposita, ut ab hac parte nihil fere desideremus. Cum igitur tantum intersit, non absurde aliquis dubitare possit, an utraeque orationes ab uno eodemque homine conscribi potuerint, et vere opinor COBETUS in lectionibus academicis de ISOCRATE, quibus mihi interfuisse contigit, has orationes ISOCRATI abiudicabat. Scio quid contra illam sententiam ii qui persistant in opinione ISOCRATEM harum orationum auctorem esse, allaturi sint. Dicent enim diversum genus orationum requirere stilum diversum et obiicient auctores DIONYSIUM, HARPOCRATIONEM, alios, qui has orationes pro genuinis habent. Sed vereor, ut in his argumentis satis praesidii habeant ad suam sententiam tutandam; nam, me quidem iudice, dicendi genus orationum iudicialium nimis ab illo ceterarum recedit, quam ut utraeque ab eodem homine potuerint proficisci; et quod ad alterum attinet, idem nobis, credo, licebit, quod DIONYSIO, qui ex LX orationibus, quae sub ISOCRATIS nomine ferebantur, XXXV spurias iudicavit. Cff. PSEUDOPLUTARCH. § 28, PHOT. cod. CCLX. Sed haec mittamus, talia enim melius sentiri quam disputando confici possunt, et potius circumspiciamus an alia argumenta inveniri possint quibus fulciatur nostra opinio.

Iam apud veteres quaestio erat an ISOCRATES iudiciales orationes composuisset necne; APHAREUS enim filius ISOCRATIS adop-

---

2) DOBRAEUS ad calcem *Adversariorum in Isocratem* scribit: »tandem eluctatus sum taedium quod summum fuit relegendi et adnotandi. Deo gratias", quae vellem vir praestantissimus posuisset post orationem *de antidosi*.

tivus negabat ISOCRATEM composuisse istiusmodi orationes; contra ARISTOTELES, quocum ut cum omnibus credo Socraticis gravissima odia exercebat ISOCRATES, multos fasciculos earum apud bibliopolas circumferri perhibebat. Mediam inter utrumque viam tenens CEPHISOPHON, qui ISOCRATI ex intimis erat *ἐν ταῖς πρὸς τὸν Ἀριστοτέλην ἀντιγραφαῖς*, quas valde admiratur DIONYSIUS, tradidit scripsisse quidem ISOCRATEM *λόγους δικανικοὺς, οὐ μέντοι πολλούς*. cf. DION. HAL. l. l. c. XVIII. Quum DIONYSIUS, qui accurate in hanc quaestionem inquisivisse videtur, huius auctoritatem sequatur et dicat ARISTOTELEM *ῥυπαίνειν βουλόμενον τὸν Ἰσοκράτη* [3] illa scripsisse, neque ego dubito CEPHISOPHONTIS sententiae subscribere; cf. BAKII *Schol. Hyp.* III. 64—67, qui docte et copiose de hac quaestione scripsit. Cur autem, iure rogamus, si verum est ISOCRATEM scripsisse orationes iudiciales, APHAREUS postea hoc negavit, et cur ISOCRATES ipse in orationibus semper solet rodere eos, qui sese dederint orationibus pro aliis scribendis? Nullam huius rei causam excogitare possum, nisi ponam ISOCRATEM iuvenem adhuc volentem subvenire laboranti rei familiari, se convertisse ad orationes iudiciales ad aliorum usum conscribendas, sed mox cum videret se illi operi imparem esse, ab eo destitisse et totum se composuisse ad orationes generis *ἐπιδεικτικοῦ* et *συμβουλευτικοῦ* componendas; quod si statuimus, omnia recte sic explicari possunt. ISOCRATES gloriam adeptus contemsit, ut plerumque fieri solet, eos qui rei operam dabant, cui ipse impar erat; et cum illae orationes iudiciales non admodum bonae essent, audacter negavit se umquam eiusmodi orationes scripsisse, sperans fore ut memoria illarum orationum, quas iuvenis scripsisset obscuraretur. Atqui si recte conieci orationes iudiciales ISOCRATIS non admodum bonas fuisse, non potest fieri, ut tres illae orationes, quas supra designavi, fuerint inter paucas illas, quas ISOCRATEM scripsisse auctor est CEPHISOPHON, nam neque ISOCRATES, nec quisquam alius credo sibi dedecori duxisset orationes illas

---

[3]) Fieri tamen potest, ut iam ARISTOTELIS tempore falsarii aliorum orationes pro Isocrateis venditaverint, et ARISTOTELES istiusmodi orationibus deceptus, scripserit multos fasciculos earum circumferri. Hoc modo magnus Philosophus mendacii crimine absolvetur.

scripsisse, quarum tanta praestantia est, ut vix orationibus LYSIAE et DEMOSTHENIS, qui quidem in hoc genere versentur, cedant[4]. Aliud addam. ISOCRATES recens e schola GORGIAE, non potuit scribere orationes, quales tres illae sunt, nam carent fere fucato et artificioso dicendi genere, quod v. c. in *Panegyrica* invenimus. Provectiore demum aetate aliquantulum remisisse videtur ab illo studio, nam *οἱ ἐπὶ τελευτῆς τοῦ βίου γραφέντες λόγοι ἧττόν εἰσι μειρακιώδεις*, ut vere scribit DIONYSIUS in fine cap. XVI. Quod confirmatur ipsius ISOCRATIS testimonio, qui in eo libro quem ad PHILIPPUM scripsit, quum iam admodum senex esset, dicit: *οὐδὲ γὰρ ταῖς περὶ λέξιν εὐρυθμίαις καὶ ποικιλίαις κεκοσμήκαμεν αὐτὸν, αἷς αὐτός τε νεώτερος ὢν ἐχρώμην κτέ.*

His conscriptis forte fortuna incidi in ISOCRATIS editionem *Teubnerianam* anni MDCCCLI, unde cognovi BENSELERUM, qui hanc editionem curavit, orationem *Trapeziticam* et minorem illam *contra Euthynum* abiudicasse ISOCRATI propter graves hiatus, qui in his orationibus inveniuntur et quos enumerat vir diligentissimus in *Praefatione* pag. X et sq. Constat scilicet ISOCRATEM *τῶν φωνηέντων τὰς παραλλήλας θέσεις παραιτεῖσθαι*, ut DIONYSII verbis utar, unde recte statuit BENSELERUS, ISOCRATIS non esse posse orationes, ubi graves hiatus reperiantur. In reliquis quoque quatuor orationibus iudicialibus hiatus occurrunt, non tamen aeque graves atque in istis duabus, sed hi secundum BENSELERUM, in eo excusationem habent, quod orationes forenses sermoni vulgari convenientius scriptae sunt, quod an vere dictum sit, nunc non otium est quaerere. Ceterum nemo non videt, quantum hoc argumentum Grammaticum confirmet ea, quae supra disputata sint.

QUAESTIO III.

Fontes unde cognoscamus vitam ISOCRATIS neque uberes sunt neque boni. Praeter DIONYSIUM enim, qui ut ipse dicit *κεφα-*

---

4) DOBRAEUS, quamvis ISOCRATES illi non sit in deliciis, ut supra vidimus, tamen *Aegineticam* appellat nitidissimam orationem.

λαιωδῶς de eius vita egit, neminem habemus, qui de industria eius vitam conscripserit, nisi PSEUDOPLUTARCHUM *in vitis X oratorum*, inter quas IIa de ISOCRATE agit, nam PHILOSTRATUM, SUIDAM et ANONYMUM MYSTOXIDIS, et PHOTIUM, quorum hic fere descripsit PSEUDOPLUTARCHUM, licet omittere. — Incertus autem ille auctor, qui mentitur nomen PLUTARCHI, sua compilasse videtur ex auctore vel auctoribus qui nunc perierunt, quamobrem sua utilitate non caret; sed praeterquam quod nullum ordinem in materia disponenda observavit, tanta socordia et ἀκρισίᾳ argumentum tractavit, ut nonnisi cautissime eius auctoritas adhiberi possit. Iam BAKIUS in libro supra laudato p. 50—54 explosit commentum eius de THERAMENE et ARCHINO, quos tradidit PSEUDOPLUTARCHUS eloquentiae magistros habuisse ISOCRATEM, et pag. 60—64 castigavit quae falso narravit de causis quas ISOCRATES egerit. Mihi quoque hunc libellum perlegenti multa videbantur contra fidem historicam tradita esse, ex quibus nonnulla quae maioris fere momenti viderentur, hoc loco mihi tractare proposui.

Initium faciam a § 5, ed. DIDOT., ubi legimus: *διατριβὴν δὲ συστησάμενος, ἐπὶ τὸ φιλοσοφεῖν καὶ γράφειν διανοηθεὶς ἐτράπετο καὶ τόν τε πανηγυρικὸν λόγον καί τινας ἄλλους τῶν συμβουλευτικῶν οὓς μὲν αὐτὸς γράφων ἀνεγίγνωσκεν, οὓς δὲ ἑτέροις παρεσκεύαζεν, ἡγούμενος οὕτως ἐπὶ τὸ τὰ δέοντα φρονεῖν τοὺς Ἕλληνας προτρέψεσθαι, διαμαρτάνων δὲ τῆς προαιρέσεως τούτων μὲν ἀπέστη, σχολῆς δὲ ἡγεῖτο, ὥς τινές φασι, πρῶτον ἐπὶ Χίου κτέ.* Falsa haec esse sponte apparebit reputantibus ISOCRATEM scripsisse orationes usque ad extremam senectutem, ut constat vel ipsius PSEUDOPLUTARCHI testimonio, cf. CLINTON in Indice *Fastorum Hellenicorum.*

§ 9 de discipulis ISOCRATIS loquens, inter eos narrat fuisse TIMOTHEUM, *σὺν ᾧ καὶ πολλὰς πόλεις ἐπῆλθε, συντιθεὶς τὰς πρὸς Ἀθηναίους ὑπὸ Τιμοθέου πεμπομένας ἐπιστολάς· ὅθεν ἐδωρήσατο αὐτῷ τάλαντον τῶν ἀπὸ Σάμου περιγενομένων* [5]. Quod vix verum

---

5) Vocabula *τῶν ἀπὸ Σάμου περιγενομένων* non admodum perspicua sunt, sed voluit, ni fallor, auctor noster significare eam pecuniam, quae ex praeda divendita supererat, postquam militibus stipendium erat solutum.

est. TIMOTHEUS enim classi Atheniensium coepit praeesse circa annum 375 a. C., quo anno *Corcyram* in Atheniensium ditionem redegit et *Samum* capere non potuit ante annum 371. Inter hos igitur annos ISOCRATES secundum PSEUDOPLUTARCHUM, TIMOTHEUM secutus est in expeditionibus, quum natus erat ad minimum 60—65 annos. Quis autem credat ISOCRATEM ea aetate, scholaque sua relicta, ex qua magnam pecuniam faceret, sese belli periculis obiecisse et classem Atheniensium secutum esse, quae, ut ipsius ISOCRATIS testimonio (*Antidos.* 120) scimus, illis temporibus omnibus rebus careret, quibus, non dicam ad bellum gerendum, sed ad ipsam vitam sustentandam opus esset. Praeterea non credo quemquam minus idoneum fuisse ad literas illas scribendas, quibus significaretur populo Atheniensium, quid actum esset, quam ISOCRATEM, cuius *λέξις πολλάκις μακροτέρα ἐστίν*, ut fere scribit DIONYSIUS cap. III.

§ 20 legimus: *ἠγωνίσατο δὲ καὶ τὸν ἐπὶ Μαυσώλῳ τεθέντα ὑπ' Ἀρτεμισίας ἀγῶνα· τὸ δ' ἐγκώμιον οὐ σώζεται.* Iam saeculo superiore I. TAYLOR in *Lectionibus Lysiacis* recte monuerat falli PSEUDOPLUTARCHUM et non ISOCRATEM *Atheniensem*, sed ISOCRATEM *Apolloniatem* eius discipulum illi certamini interfuisse. Sed contra exortus est Clar. RUHNKENIUS, qui in *Historia Critica oratorum Graecorum* c. XLII contendit TAYLOREM immerito PSEUDOPLUTARCHO insultasse, cuius sententiam quum hodie quantum scio omnes, v. c. CLINTONUS, WESTERMANNUS, THEOD. MULLERUS, sequantur, operae pretium duxi denuo hanc quaestionem movere.

Rem ut certissimam et de qua inter veteres constaret, narrat pro sua diligentia PSEUDOPLUTARCHUS, quum tamen inter ipsos veteres fuerint, qui de hac re dubitaverint, teste GELLIO, qui in Libro X. c. XVIII, quod caput totum de *Artemisia* et *Mausolo* agit, scribit: »ad eas laudes decertandas venisse dicuntur »viri nobiles ingenio atque lingua praestabili, Theopompus, Theo»dictes, Naurites (lege *Naucrates*); sunt etiam, qui Isocratem »ipsum cum iis certavisse memoriae mandaverint. Sed eo cer»tamine vicisse Theopompum iudicatum est. Is fuit Isocratis »discipulus." Alii igitur tradiderunt celebrem ISOCRATEM affuisse, alii contra silentio eum praeterierunt; et nostrum erit iudicium, utra sententia praeferenda sit. Quominus autem credamus ISOCRATEM affuisse certamini, multa sunt quae nos pro-

hibeant. Primum enim ad verba facienda in frequenti concione deerant ei duae res, confidentia et vox, ut ipse de se scripsit in *Panathenaica* § 9 sq.; deinde impedimento erat aetas, natus enim erat 83 s. 84 annos, quo tempore ARTEMISIA certamen instituit. Tum non est verisimile ISOCRATEM cum suis ipsius discipulis in certamen descensurum fuisse; denique obstat disertum testimonium SUIDAE, qui bis in Lexico, sub voc. Ἰσοκράτης Ἀμύκλα τοῦ φιλοσόφου, et Θεοδέκτης Ἀριστάνδρου non *Atheniensem*, sed *Apolloniatem* ISOCRATEM certamini interfuisse scribit; cuius testimonium eo maius pretium habet, quod vix fieri potuit, ut stupidus compilator nomen minus noti viri substituerit in locum celeberrimi artis dicendi magistri. — His argumentis, quae opinor, satis gravia sunt, RUHNKENIUS opponit locum PSEUDOPLUTARCHI, de quo nunc agimus et locum PORPHYRII ex libro I. τῆς φιλολόγου ἀκροάσεως, quem exscripsit EUSEBIUS in *Praepar. Euangelica* X. III. p. 464, ubi agit de furtis Graecorum. Loco illo PORPHYRII quidem homines docti, quos LONGINUS convivio in memoriam PLATONIS excipit, tum de variis rebus inter se colloquuntur, tum de EPHORO et THEOPOMPO, quaerentes uter alteri praeferendus sit; cum autem unus convivarum EPHORUM plagiarium appellavit, alius assurgit contendens, neque THEOPOMPUM ab hoc vitio immunem esse, quippe qui in libro XI. de rebus PHILIPPI quaedam ex *Areopagitica* ISOCRATIS furatus sit additque: καίτοι ὑπερφρονεῖ τὸν Ἰσοκράτην καὶ νενικῆσθαι ὑφ' ἑαυτοῦ φησι κατὰ τὸν ἐπὶ Μαυσώλῳ ἀγῶνα τὸν διδάσκαλον. Ex quo loco mihi videntur eiicienda vocabula τὸν διδάσκαλον, quae male sedulus lector olim ad nomen ISOCRATIS annotavit, et deinde e margine in textum irrepserunt, quod vel importunus locus, quo nunc leguntur, arguit. Sed sive eiicimus haec verba, sive retinemus, nihil certius esse potest quam PORPHYRIUM ob oculos habuisse ISOCRATEM *Atheniensem.* Non tamen aeque certum est THEOPOMPUM hoc idem voluisse; PORPHYRIUS enim, philosophus Neoplatonicus, qui sub finem saeculi tertii post CHRISTUM vixit, magna indiligentia et ἀκρισίᾳ laborat, ut satis apparet ex eius *vita Pythagorae*, et insuper non ipsum THEOPOMPUM sed, ut ipse in fine capitis fatetur, POLIONEM[6], qui in

[6]) POLIO hic, qui, ut ex eodem loco patet, praeterea scripsit libros de fur-

ἰχνευταῖς multa de THEOPOMPO scripserat, inspexisse videtur. Quae cum ita sint, non opinor tantum momentum habere locum PORPHYRII, ut commode opponi possit argumentis, quae supra enumeravi, et sic potius de eo statuendum videtur, ut POLIO quidem scripserit THEOPOMPUM ὑπερφρονεῖν τὸν Ἰσοκράτην, verum *Apolloniatem*, et alio loco eum multa subripuisse ISOCRATIS *Areopagiticae* orationi, PORPHYRIUS vero utriusque nomina confundens utrumque coniunxerit in unum et attribuerit magistro, quod esset discipuli. Sed haec sufficiunt; iudicent peritiores.

§ 35 legimus ἐλυπήθη δὲ καὶ οὐ μετρίως ἐπὶ τῷ Σωκράτους θανάτῳ καὶ μελανειμονῶν τῇ ὑςεραίᾳ προῆλθε. Hoc parum credibile. ISOCRATES enim, qui audivit GORGIAM, PRODICUM et TISIAM (v. DIONYS. HAL. c. 1.) non potuit diligere SOCRATEM, a cuius disciplina prorsus alienus erat. Socraticos saltem pessime oderat, ut de ANTISTHENE et PLATONE constat, quorum ille librum contra eum scripsit teste DIOGENE LAERTIO VI. 1. n. 15, et hic saepe eum urbane, ut solet, reprehendit, quod sagacissime indagavit BAKIUS in *Sch. Hyp.* III. p. 8 sqq. et cap. II, quod totum agit de aemulatione PLATONIS cum ISOCRATE. Quum autem ambo tecte et non nominatim se invicem exagitaverint, postea docti homines nihil amplius suspicati sunt de ista aemulatione, ut v. c. CICERO, qui in *Oratore* cap. XIII, nisus nobilissimo illo loco qui in *Phaedri* extrema pagina legitur, scribit PLATONEM, omnium Rhetorum exagitatorem unum mirari ISOCRATEM. Sed ille ipse locus, quem pro argumento affert et etiam vertit CICERO, continet aculeum, qui eum latuit, ut praeclare ostendit GEELIUS in *Museo Rhenano* 1838. p. 11. Nihil quidquam igitur inaudivisse videtur de ista aemulatione. Eodem modo erravit PRAXIPHANES, de cuius aetate nihil mihi constat, qui scripsit PLATONIS et ISOCRATIS διατριβήν τινα περὶ ποιητῶν, quam finxit habitam esse in villa PLATONIS, cum eius hospitio uteretur ISOCRATES. Titulus huius libri legitur apud DIOGENEM LAERTIUM, Libr. III. n. 3, qui eo utitur pro argumento, amicitiae vinculo ambo coniunctos fuisse, sed una cum ceteris fallitur.

---

tis CTESIAE et HERODOTI, mihi aliunde notus non est. Nomen corruptum videtur, et admodum dubitanter corrigo Πολέμωνος pro Πολίωνος.

Quantopere compilator tempora confuderit, ea quoque argumento esse possunt quae narrat § 38: *Σοφοκλέα δὲ τὸν Τραγικὸν θεασάμενος ἑπόμενον ἐρωτικῶς παιδὶ εἶπεν· Οὐ μόνον δεῖ Σοφόκλεις τὰς χεῖρας ἔχειν παρ' αὑτῷ ἀλλὰ καὶ τοὺς ὀφθαλμούς*, in quibus vide quam parum utriusque aetatis rationem habuerit, quo enim anno natus est ISOCRATES, scil. a. C. 436, SOPHOCLES sexagenarius erat, si cum CLINTONO statuimus eum anno 495 natum esse, LESSINGIUS enim et HERMANNUS eius annum natalem uno vel duobus annis prius ponunt. Si igitur credimus PSEUDOPLUTARCHO, adolescens ISOCRATES senem ad minimum octagenarium reprehendisset, quod eum vidisset *ἐρωτικῶς ἑπόμενον παιδί*, quae credat Iudaeus Apella, non ego, nam aequalis tale quid in aequali, vel melius etiam senex in iuvene potest reprehendere, non vero ut hoc loco iuvenis in sene, qui eius avus esse poterat. Quanto igitur aptius CICERO eandem rem narrat, substituto tantum nomine PERICLIS pro ISOCRATIS in *Officiis* Libr. I. cap. 40, ubi legimus: »Bene Pericles, cum ha»beret collegam in Praetura Sophoclem, iique de communi offi»cio convenissent, et casu formosus puer praeteriret dixissetque »Sophocles, O puerum pulchrum, Pericle! At enim praetorem, »Sophocle, decet non solum manus, sed etiam oculos abstinen»tes habere."

Unum tantum addam locum, qui legitur § 38, *πάλιν δ' ἐρομένου τινὸς αὐτόν, τί ῥητορική; εἶπε· τὰ μὲν μικρὰ μεγάλα, τὰ δὲ μεγάλα μικρὰ ποιεῖν.* Definitio haec non potest esse ISOCRATIS, qui longe graviora postulasset ab iis, qui sese ipsius disciplinae tradidissent, ut videre licet in oratione *de Antidosi* § 186 sqq., sed eam compilator vel quemcunque tandem sequatur, hausit ex loco male intellecto ipsius ISOCRATIS, qui in *Panegyrico* sub ipsum initium orationis rationes exponit, cur argumentum, quod iam tot Sophistae arripuissent, denuo tractandum sibi sumserit. Et inter alia haec quoque scribit: *ἐπειδὴ δ' οἱ λόγοι τοιαύτην ἔχουσι τὴν φύσιν, ὥσθ' οἷόν τε εἶναι, περὶ τῶν αὐτῶν πολλαχῶς ἐξηγήσασθαι, καὶ τά τε μεγάλα ταπεινὰ ποιῆσαι καὶ τοῖς μικροῖς μέγεθος περιθεῖναι, καὶ τὰ παλαιὰ καινῶς διελθεῖν, καὶ περὶ τῶν νεωστὶ γεγενημένων ἀρχαίως εἰπεῖν, οὐκέτι φευκτέον ταῦτ' ἐστὶ περὶ ὧν ἕτεροι πρότερον εἰρήκασι.*

Possem his alia addere et v. c. in multis apophthegmatis,

quorum apud PSEUDOPLUTARCHUM magna copia, ostendere quam parum conveniant aetati et moribus ISOCRATIS, sed fortasse iusto longior iam fui. Manum igitur de tabula.

Noorthei, m. Aprilis, 1855. T. J. HALBERTSMA.

CONIECTANEA.

MACROBIUS in Libro I. c. 16 disputans de Nundinarum origine ex RUTILII testimonio scribit rusticos intermisso rure nundinis ad mercatum legesque accipiendas *Romam* venire, unde etiam morem tractum, ut leges trinundino die promulgarentur. »Sed »haec omnia," pergit MACROBIUS, »negligentius haberi coepta »et post abolita postquam *in ternundino* etiam ob multitudinem »plebis frequentes adesse coeperunt." Illud *in ternundino*, ne Latinum quidem est, ideoque quidam scripserunt *in trinundino*, quod vel peius est, quia sic vestigia verae lectionis magis obliterantur; legendum enim arbitror, literis aliter divisis, *inter nundina*, cui correctioni nihil opus est addere.

In *Vita Tiberii* ultimo capite SUETONIUS de eius testamento scribit. »Dedit et legata plerisque, inter quos *virginibus Vesta»libus*, *sed et* militibus universis plebique Romanae viritim, at»que etiam separatim vicorum magistris," in quibus duo sunt quae offendunt. Unum, quod nihil est, cui opponatur illud *sed et universis*, nam ut haec vocabula recte ponantur requiritur, ut primum sermo fuerit de peculiari quodam genere militum. Senserunt hanc difficultatem quidam librarii, qui suo Marte pro *sed et* scripserunt *ac*, et sic locum corruptum etiam magis corruperunt. Vitium enim non latet in *sed et*, sed in vocabulis *virginibus Vestalibus*, in quibus alterum illud me offendit, quod nunc dicam. DIO CASSIUS scilicet in Libro LIX. c. 2 narrat Caligulam per Senatum rescidisse quidem testamentum Tiberii, sed tamen quibus Tiberius aliquid legasset, omnia persolvisse,